UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Novissima Polyanthea, In Libros XX. Dispertita

Dominicus

Francofurti, 1613

Oeconomia

urn:nbn:de:hbz:466:1-97211

Visual Library

De ſuaui odore. DIAL. XXII.

Franciſci Petrarchæ.

GAV.

Suauibus delector odoribus. R. Hi vel victui, vel veſtitui ſubſeruiunt, de quibus quid ſentiam audiuiſti. G. Odoribus ſtudeo. R. Odorum alii gulam, alii libidinem irritant. Horum appetitus incontinentiæ notam ſubit, & præſertim vehemens. Alii propter ſeipſos expetuntur. Horum ſtudium non turpitudinis nempe, ſed vanitatis arguitur. Vnde eſt, vt muliebrium vnguentorum odor, aut dapum, quam florum turpior ac pomorum ſit. Eadem ratio eſt earum delectationum, quæ auribus oculiſque percipiuntur. Si vnquam Ethicis applicuiſti animum, noſti hæc, neque te nunc doceo, ſed notæ veritatis ad memoriam retraho, vt huius generis oblectamenta videas vel fœda eſſe, vel leuia. G. Odoribus operam do. R. Bonæ vtinam famæ cuius odor bonus quoque dicitur, malusque maior multo, latiusq; ſenſibilis, quam aromatum, ſi terantur, aut ſulphurum, ſi crementur. De his odoribus non nares, ſed mens iudicat. G. Bonis odoribus delector. R. Si ſenſui pares, & voluptati inhias, vt dictum eſt, aut obſcœnum, aut inane. Si valetudinis curam geris, excuſabile: modo condimentum rerum omnium modus adſit. Confortat enim tabeſcentem ſpiritum odor leuis, ſed ad omnia valet illud Comicū: Ne quid nimis. Eſt autem (vt in multis) in hoc quoque naturarum varietas infinita, non ſolum inter hominem atq; hominem, ſed inter gentem & gentem. Siquidem vera fama eſt, quamq; magni non reſpuunt authores, gens quæ Gangis fontem accolit, omnis cibi expers, ſolo mali ſylueſtris odore alitur: peregre profecturi, nil niſi bonum illud malum ac vitale circumferunt, tam fœtoris impatientes, vt ſicut eos purus nutrit, ſic infectus odor interimat. Delicata complexio, quæ ſic viuat & pereat. Hinc gens omnis ad ortum ſolis obuerſa, cœlique mollitie delinita, vel ciborum negligentior, ſic egentior, atque appetentior eſt odorum, & inde nimium hæc primum curioſitas nos inuaſit. Aſſyrii, Arabes & Sabæi, veſtris armis edomiti, ſuis vos odoribus domuere, quibus aliquandiu rigida patrum & inuicta ſobrietas obſtitit, vsque adeo, vt quingenteſimo & ſexageſimo quinto annis vrbis conditæ graui edicto à Cenſoribus caueretur, ne quis in vrbem ipſam vnguenta externa conueheret. Non multo autem poſt modernorum vitiis (vt aſſolet) veterum ſcita rumpentibus, in ſenatum ipſum edicti talis authorem victrix laſciuia penetrauit. G. Libenter, bene oleo. R. Peregrini odores, atque omne artificium bene olendi, proprii naturalis, non boni odoris argumenta, & latentium ſunt ſigna defectuum. Ob hoc ipſum, atque ob illam, nedum viro, ſed ne honeſta quidem fœmina dignam curam ſolita ſenſum viri fortis offendere. Meminiſti adoleſcentis illius, qui dum, vt erat vnguento illitus, pro collata præfectura, Veſpaſiano principi gratias acturus, ante eum ſtaret, ille hauſto mox odore ſubſtomachans acri ſupercilio, voce aſpera: Mallem, inquit, allium oboleuiſſes, ſic increpitum ſine honore, inhibitis, ſeu reſciſſis iam conceſſæ gratiæ literis bene olidum dimiſit. Ita cum ſemper dedecori ſint odores huiusmodi, interdum etiam damno ſunt, maxime, vbi morum grauis, ac maſculus cenſor ſit. Quid quod quibusdam fuere periculo? Nam, & illud noſti, vt Plautius Senatorii vir ordinis, triumuirali proſcriptione, metu mortis Salernitanis latebris abditus, vnguenti proditus odore, ſibi quidem perniciem, proſcriptoribus autem ſuis excuſationem ſæuitiæ quæſiuit. Nam quis non iure cæſum diceret eum, qui eo tempore Reip. tantoque priuato diſcrimine vnguenta etiam nunc oleret? G. Artificioſis odoribus aſſueui. R. Deſueſce, ſi conſilium meum vis. Turpius eſt enim artificioſis quam ſimplicibus aſſueuiſſe. Omne, quod turpe eſt, quo artificioſius, eo fit turpius. Honeſtatis ornamentum ars, inhoneſtatis eſt cumulus. Adde, quod & fœdius hodie, quam olim, quamuis enim Roma (vt dixi) & quam Græcorum Romam prope dixerim Lacedæmon, huic peſti ex Aſia venienti, quaſi armatæ hoſtium legioni ferreis moribus, atque edictis obſtiterint, ad extremum tamen molles vnguentorum ſimulq; vitiorum acies fefellit excubias, in Europam tranſiit, & fortiſſimas gentes vicit. Et quoniam ſingula proſequi longum eſt, ex vnius aſperrimi atque laborioſiſſimi viri mollitia duritie de reliquis coniecturam facito. Siquidem in medio bellorum æſtu, ille inuictus, ac barbarus cruento cum exercitu vnctus eſt Annibal: penetrabilia vnguenta, ſed penetrabiliora ſunt vitia. Itaque eneruati ducis ac militum, quorum tam ſtupenda primordia fuerant, qualem decuit, exitus fuit. Quo effectum eſt, vt cum multum, Africani ſemper virtutibus, Annibalis tamen vnguentibus aliquid deberetis, expediebat illis, vt ſicci eſſent, vobis vt vngerentur. Ex illo ſane multis ſeculis ſic iſte mos inualuit, vt labor ſtuporque ſit legere, quæ de hac re in vtriusque literis ſcripta ſunt. Et quid pluribus morer? vsque ad illius pedes, quo nil altius, vnguentum venit, quod ipſe, qui omnem mollitiem animorum, atque omnes illecebras voluptatum extincturus aduenerat, paſſus eſt, non vnguento quidem, ſed pietate delectatus, ac lachrymis offerentis. Iam vero pedetentim vſus hic abiit, vt cum in multis ætas veſtra maiorum gloriæ impar ſit, in hoc excellere videatur, quod vnguentaria non eſt, & qui his capitur, non communi temporum, ſed proprio quodam animi vitio laborat. G. Bonis odoribus illicior & delector. R. Fieri non poteſt, quin quæ delectabilia ſunt natura, & illiciant, & dum præſentia ſint, delectent [...] pientis Hebræi dictum eſt. Vnguento, & variis odoribus delectatur [...] cor, quamvis vnguento quidem non tam mihi delectationem [...] ineſſe, quam faſtidium. Sed, vt inſit odoribus, meo certe conſilio [...] ſentibus reſiſtendum contemptu & obliuione, præſentibus [...] dum modice, neque vllum his ſtudium impendendum, ne [...] citus vltimarum, viliumque rerum mancipium fateare. [...] articulum longius trahant: inhoneſtis odoribus, vt rebus [...] virilem effœminantibus animum vetitis ac ſecluſis, in re [...] guſtini ſententiam amplector, de illecebra odorum inquit: [...] tago nimis, cum abſunt, non requiro, cum adſunt, non reſpuo [...] tus eis ſemper carere. Ide[...], ne quando bonis odoribus [...] leas, aut odioſis mundiciis odioſius ſis.

¶ ADAGIA.

Anus hircum olet Γραῦς ἀναθυᾷ.

De vetula libidinante: propterea quod alarum ac reliquarum partium odor excitatur ad libidinem incenſis.

Aut piſcem olet aut florem.

Dictum in eum qui bene oleret, quod Timallus, piſcis ſit [...] uiſſimus, & æque fragrans eiusdem nominis flos.

Oeconomia.

¶ DEFINITIO: ET ETYMOLOG[IA]

OEconomia, Græca dictio eſt, οἰκονομία, ας, ἡ, diſpenſatio domeſtica, & οἰκονομέω, guberno: & οἰκονόμος, ου, ὁ, diſpenſator familiaris dicitur. Hæc autem eſt prudentia rectiua [...] nis vnius familiæ. *ſec. B. Thom. ſecunda Sec. q.* 48. Cuius finis [...] mus, totum bene viuere ſecundum domeſticam conuerſationem. *ſec. eund. ibid. q. 50. art.* 3.

Quatuor ſpecies œconomiæ.

Regia, Satrapica, Politica, & Priuata. *Regia* autem prouentus ſpecies quatuor: circa Monetam, circa importata & exportata, [...] Portoria, circa ſumptus, cum compendio fiunt, ac res [...] dentur, æſtimationesque vbi expediat magis, quam [...] penſæ fiant.

Satrapica prouentus ſpecies ſex: ex Terra, quam Decimam [...] cant, & Locorum, vbi dominantur metallicis: ex terra [...] ſcentibus: ex Mercatoribus, ex Paſturis, Decima item [...] ſexta, ex aliis variis rebus.

Tertia œconomia ſpecies, *Politica*, id eſt, ciuitatis, huius [...] optimum ex iis, quæ in loco proprio gignuntur, deinde [...] ris, poſt hæc τῶν ἐγκυκλίων.

Quarta & vltima *priuati hominis*, quæ quidem anomala [...] absque norma exiſtit, quod non ad vnam tantum intentionem œconomia exerceatur. Eſt inſuper omnium minima ob [...] uentus & expenſas. Huius optimum vectigal ex terra [...] eſt, Agricultura, quæ omnium eſt parens. Hinc enim magis [...] dum naturam res nobis acquiruntur: Deinde ex aliis rebus [...] tium ex argento: præter omnia autem parcere ſuperfluis, & [...] iores ſint prouentibus expenſæ.

Oeconomia eſt domus adminiſtratio recta. Domus partes [...] ſunt: familia, & res familiaris.

1. Familia eſt certarum perſonarum domiſtici conuictus [...] iunctarum, ſocietas. Perſona quæ præeſt dicitur οἰκοδεσπότης [...] obediunt, domeſtici. Harum perſonarum triplex eſt συζυγία, Coniugalis, Patria, Herilis. Coniugium eſt vnius viri & fœminæ, indiſſolubili vitæ, omniumque caſuum communione, ad liberorum educationem & familiæ ſuſtentationem coniunctarum, communio. Patria Syzygia eſt, qua parentes & liberi inter ſe coniunguntur. Herilis, qua herus & famuli, hera autem & famulæ inter ſe deuinciuntur. Officium coniugum commune ad pietatem, mutuum amorem, fidelitatem, & rei domeſticæ curam refertur. Proprium mariti officium certa reſpicit capita. Amet vxorem ſuam. Sit caput & dominus eius in timore Dei, competentem poteſtatem concedat ei in liberos, ſeruos & ancillas: ſcienter, pie, prudenter cum vxore ſua conuerſetur. Officium vxoris eſt quintuplex: nempe dilectionis, ſubiectionis, temperantiæ, adiumenti, prudentiæ decoræ. Officium parentum generale, eſt philoſtorgia: ſpeciale patrem & matrem ſpectans, liberis præſtatur, partim in infantia, partim poſt infantiam in pueritia, adoleſcentia & iuuentute. Patris officium eſt defenſionis & authoritatis: Matris autem lactationis & familiaritatis maternæ. Liberorum Officium, charitatem, Obſeruantiam, & obedientiam complectitur. Officium herile eſt directio famulorum ac famularum ad exercitia pietatis, & ad operas vitæ præſenti neceſſarias: laborantibus alimentum, mercedem, conſeruationem iuſtam, commoda honeſta institutionem honeſtam procurare: malos dimittere. Seruorum & ancillarum officium, venerationis eſt obſequium & fidelitatis. Familiæ totius officium erga vicinos, & concordiæ, & beneficentiæ multiplicis, quæ proximi commoda promoueat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rei familiaris tum acquiſitio, tum acquiſitæ poſſeſſio ac con-
ſeruatio, tum denique poſſeſſæ & conſeruatæ diſpenſatio, conſide-
randa ſupereſt. In Acquiſitione occurrunt Virtus, modus: media
acquiſitionis eſt prudens Induſtria, coniunctam habens Pie-
tatem, quæ dei benedictionem reſpicit & implorat, Induſtria certis
perſonis certos labores ad acquirenda bona diſtribuit. Hos do-
mesticos & labores Paterfamilias vigilanter & prudenter obſeruet,
ſuorum etiam quum neceſſe eſt, & pro laborum ratione operi ſe-
dulo admouens. Materfamilias ſeipſam depictam intuetur in Pro-
verbiis Salom. cap. 31. Superbiæ, faſtui, luxui, fuco, meretricio orna-
mentum vale dicat. Modus acquirendi, potiſſimum Naturalis
aut artificialis. Sub Naturali agriculturam & Pecuariam com-
prehendimus. In his dei benedictionem & piæ familiæ laborem
conſideramus. Artificialis Mercaturam & operæ locationem reſpi-
cit. Quocunque modo mercatura fiat, vel licita, vel illicita eſt. Lici-
ta diuinitus conceſſa, ſocietatique ciuili neceſſaria, fit honeſti lucri
cauſa. Patrisfamilias mercatura Pietatem, Iuſtitiam, Prudentiam
habet comites. Pietas negotiationē ſanctificat. Iuſtitia edicit. Quod
tibi fieri non vis, alteri ne feceris. In tanta rerum mundanarum ἀτα-
ξίᾳ mercator prudens & circumſpectus eſſe debet. Mercaturæ licitæ
ſpecies tres numerantur. Quædam enim eſt mercium earum, quæ
arte & opificio hominum parantur: quædam earum quæ
ex terra & aquis naſcuntur: quædam vero eſt negotiatio pecuniaria.
Illicita mercatura dicitur ea quam Deus damnat & punit: cuius
finis eſt fraudulentus, & lucrum inhoneſtum. Eiuſmodi merca-
tura primum inſtituitur non ad publicum bonum, ſed ad priuatum
commodum cum proximi detrimento. Secundo inſtituitur ad decipien-
dos alios, præſertim incautos, per omnis generis technas, vt blan-
ditias, mendacia, periuria, mercium tum materiæ tum formæ reſpe-
ctu, corruptelas iniquas menſuras, &c. Non prætereunda eſt Anno-
næ flagellatio, & mordens vſura. Operæ locatio, eſt acquirendi mo-
dus quo pro mercede opera hominis venditur: eaque fit exercitio
artificiorum non modo liberalium, ſed maxime etiam Manuario-
rum. Quæ Deus varia ordinauit, & ad hæc contulit hominibus varia
dona. Artificia manuaria ſancta ſunt & vtilia, ita recte diſcenda,
diligenter & artificioſe à bonis viris exercentur.

Poſſeſſio & conſeratio pia facultatum acquiſitarum, piam ſuffi-
cientiam & parſimoniam requirit. Cauet deinde, fugit & damnat
fiduciam in diuitiis partis: ſuperbiam deteſtatur: alios procaciter
contemnit. Diſpenſatio prudens Dei gloriam, noſtrum ac aliorum
commodum reſpicit. Hanc ſuadet pietas erga Deum, vrget charitas
proximum, moderatur oculus œconomicus iuxta facultatum
acquiſitarum dominium retinet.

❡ Sententiae Sacrae.

Coniugii inſtitutio deſcribitur, *Gen.* 2.18.23.24. *Matth.* 19.5. Itera-
tum coniugium, *Gen.* 25.1. *Rom.* 7.2.3.1. *Cor.* 7.39.1. *Tim.* 5.14. Officium
commune coniugum commendatur, *Matth.* 6.33. *Pſal.* 37.5. & 128.
Mariti Gen. 2.24. *Epheſ.* 5.25. *Exod.* 20.14. *Prou.* 2.17. *Malach.* 2.15.
Pſal. 34.5. *Pſal.* 128.2. *Eccl.* 11.6. *Epheſ.* 4.28. Proprium officium
mariti, Prou. 5.18.19. *Eccl.* 9.9. *Epheſ.* 4.34. *Gen.* 3.16.1. *Tim.* 2.12. *Coloſſ.*
Uxoris. Tit. 2.4.5. & 1. *Tim.* 2.11.12.15. *Rom.* 7.2. *Epheſ.* 5.22.
1. Petr. 3.1.5.6.1. *Tim.* 3.11. *Prou.* 31.12. Officium patris & matris
commendatur, *Eſai.* 49.15. *Matth.* 7.9.10. & 19.13. *Deut.* 4.9. & 6.7.
& 31.12.13. *Prou.* 13.24 & 19.18 & 23.13 *Epheſ.* 6.4. Officium
liberorum, *Exod.* 20.12. *Deut.* 27.16. *Prou.* 6.20. & 15.5. & 19.26. *Matt.*
Luc. 14.26. *Leuit.* 19.3. *Eccl.* 3. &.3. *ad* 18. *Prou.* 23.22. Officium he-
rile, 2.10.1. *Sam.* 1.21. *Ioan.* 4.53. *Actor.* 10.2. *Matth.* 24.25. *Luc.*
1. Tim. 5.18. *Leu.* 19.13. *Deut.* 24.13.14. *Leu.* 25.43. *Epheſ.* 6.9. *Matt.*
Seruorum & ancillarum officium: *Pſ.* 123.2. *Epheſ.* 6.5. *&c. Col.*
1. Tim. 6.1.2. *Tit.* 2.9.10.1. *Pet.* 2.18. *&c.* De reliquis patrum & ma-
trum erga familiam officiis erga proximos videantur tit. *Beneſi-
centia, Concordia, eleemoſyna, Mutuatio, labor, Induſtria, Merca-
tura.*

❡ Sententiae Philosophicae.

Oeconomica ſcilicet & politica differre inter ſe, non ſolum quan-
tum domum & ciuitatem (hæc enim, eis ſubiecta eſſe) ſed in eo et-
iam quod politica ex multis ſit principibus: œconomiam vero eſſe
monarchiam. Prima autem in hac hominum cura ac diligentia cir-
ca coniugium: ſocietas enim ab ipſa natura maris & fœminæ maxi-
me conciliatur, vt non ſolum ſit hominibus, ſed etiam beſtiis; nec
tantum ſolum naturæ cauſa, ſed & vtilitatis. Qui enim viribus validi
ſunt, imbecilles iuuant, rurſus ipſi debiles in ſenectute ab illis quandoque
adiuuantur. Huc accedit etiam, quod quando numero prohibe-
mur natura, ſaltem ſpecie perpetuos eſſe effectamus. Diuerſa ta-
men conditione procreati, ſimul iunguntur ad ſtabiliorem vitæ v-
ſum. Nam fœminæ timiditas maior, ob res domi cuſtodiendas, viris
audacia, ob fortitudinem, & res foris parandas. Fœminis item cha-
ritas maior, ac patientia ad filios nutriendos: viris ſapientia ad eru-
diendos. Poſſeſſionum poſt hæc diligentia adhibenda, quarum pri-
ma eſt homo: quapropter ſeruos ante omnia ſtudioſos parare opor-
tet. *Ariſtoteles in Oeconomicis in hanc ſententiam diſſerit.*

Oeconomo ad rem tuendam modi ſunt quatuor: Primum para-
re, deinde partum tueri, ſine quo nihilo magis parare iuuat, quam
in vas fundo carens, aquam haurire. Præterea prudentem eſſe ac di-
ligentem, nullus enim res alienas æque tuetur atque ſuas. Ex quo
Porus interrogatus, quid maxime equum ſaginaret? Oculus, inquit,
Domini. Libys etiam interrogatus, quod optimum lætamen? Veſti-
gia reſpondit, domini. Ideo Socrates dicere ſolebat, dominum ante
ſeruos exurgere, & vltimum ire recubitum oportere. Surgere enim
noctu, & ad valetudinem, & ad œconomiam, & ad philoſophiam
denique conferre. Item in lib. 2. dicit, optimum œconomum non
ignarum eſſe debere maris locorum, circa quæ negotiatur: ſed na-
tura ingenioſum, mente vero iuſtum ac laborioſum.

Hoc igitur cognationis vniuerſum cœtum & ſyſtema eſſe iudi-
candum eſt. Syſtema autem omne ex contrariis quibusdam, & diſſi-
milibus eſt, quæ ad vnum aliquod optimum, & ad communem vti-
litatem referantur. Nam chorus appellatus eſt cœtus Muſicæ com-
munionis, & vnum communem ſpectat finem, nempe concentum.
Item ſocietas hominum circa nauim ex diſſimilibus & contrariis
quibusdam conſtituitur, & ad vnum optimum reſpicit, videlicet
gubernatorem: & communem vtilitatem ſibi proponit, hoc eſt,
proſperam nauigationem. Sic & familia, quæ cœtus eſt cognitionis,
diſſimilibus ſui partibus componitur, & ad Patremfamilias veluti
vnum optimum ſe refert, & concordiam vtpote commune bonum
molitur. In ſumma, omnis familia tanquam pſalterium tribus illis
indiget, apparatu, concinnitate, & contrectatione, ſiue vſu Muſico.
Apparatus quidem, eſt omnium eius partium conſtructio, quibus i-
pſum totum & vniuerſus ordinis cognati cœtus abſoluitur. Sunt
autem partium eius duæ primæ & maximæ, homo, inquam, & res,
ſiue poſſeſſio, quæ regitur, vſumque ſui præbet. Quemadmodum
ipſius animalis partes duæ ſunt primæ & maximæ, anima & corpus:
illa regit & vtitur, hoc regitur & vſurpatur. Item, vita, aſcititium eſt
inſtrumentum actionum humanarum: corpus autem inſtrumen-
tum eſt natiuum & cognatum animæ. Porro hominum familiam
conſtituentium, alii cognati ſunt, alii affines. Cognati, qui ex eodem
ſanguine prognati ſunt, aut ab eisdem primis parentibus originem
ducunt. Affines autem, cognati ſunt aſcititii, ex nuptiarum coniun-
ctione principium habentes. Illi vero aut parentes ſunt, aut fratres,
aut aui paterni vel materni, aut aliud quippiam ei, qui per nuptias
nobis coniunctus eſt. Quod ſi amicorum etiam bonum ad fami-
liam pertinet (ſic enim familia fit amplior & magnificentior, non
ſolum multis opibus ac plurimis cognatis, ſed etiam amicorum
multitudine aucta) apparet etiam hinc procul dubio familiam au-
geri, & ſociale genus amicitiæ, & perfectionem familiæ connume-
randum. Poſſeſſio autem quædam eſt neceſſaria, quæ ad vſus vitæ
requiritur: alia liberalis, quæ ornat & oblectat hominem, ita vt aliis
non egeat: alia liberalem ornatum, ingenuamque delectationem
excedens, contumeliæ exitiique radix inter homines pullulat. Quip-
pe multa poſſidentes, neceſſum eſt primum inflari, inflatos autem
arrogantes fieri: arrogantes factos, ſuperbire, & cognatos tribules-
que ſuos neutiquam ſibi ſimiles exiſtimare: deinde contumelioſos
fieri: omnis autem contumeliæ finis exitium eſt. Vbi igitur in do-
mo & ciuitate ſuperfluitas extiterit, oportet abundantiam per Le-
gislatorem auferri & reſecari, quemadmodum à bono agricola lu-
xuriantes frondes. Porro cognati & familiaris hominum ordinis
partes ſunt tres, prima imperat, vt maritus: ſecunda paret, vt vxor:
tertia familiæ & cognationi auxiliaris eſt, nempe liberi ex illis na-
ti. *Callicratides Pythagoricus Lacon, ex libro de familiarum felici-
tate.*

Ante omnia dicendum eſt mihi de operibus, quæ familiam ſu-
ſtentant. Hæc igitur diuidantur, vt fieri ſolet, ita vt viro opera ru-
ſtica, forenſia, & ciuilia tribuantur: mulieri autem, quæ ad lanifi-
cium & frumenti apparatum attinent, omnia denique domeſtica
negotia. Non tamen alter ab alterius operibus omnino immunis
eſſe debet, nam & mulierem aliquando decebit, vt rus egreſſa, ope-
rariis præſit, & patrisfamilias vicem gerat: & contra, viro rerum
domeſticarum habere curam, laudi dabitur, partim ſciſcitando, par-
tim ea, quæ fiunt inſpiciendo. Sic enim mutua communio magis
ſtabilietur, ſi neceſſarias inter ſe curas communicent. *Hierocles in
Oeconom.*

Ariſtoteles commemorat multa exempla regum ac populorum,
qui calliditate nouas artes vectigalis & rei parendæ ſibi inuenerunt,
quæ pars nondum in Latinam linguam translata eſt, vt inquit Vola-
terranus *lib.* 36. *Phyſiologiæ. Vide ibi in cap. de œconom. Adde & Xe-
noph. de œconom. quem prænominatus Raphael Volaterranus ele-
ganter ex Græco traduxit in Latinum.*

❡ Apophthegmata.

Thales, eam familiam probabat, in qua domino plurimum otii
agere liceret. *Stob. ſerm.* 82.

Chilon admonebat, vt ſuæ quiſque domui præeſſet, primam enim
curam debemus familiaribus: nec idoneus videtur adminiſtrandæ
Reipublicæ, qui priuatam recte gubernare neſcit: Domus enim ni-
hil aliud eſt, quam parua ciuitas. *Laert. l.* 1.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Idem dixit, Oportere domum maxime ſimilem fieri ciuitati, quæ regno gubernatur. *Stob.ſer.*83.

Cleobulus optimum œconomum inde iudicabat, ſi plures haberet ſui amantes, quam metuentes. *ibid.*

Bias dicere ſolitus erat, eam familiam eſſe optimam, in qua dominus ſponte ſit huiusmodi, qualis propter legem foris eſt, *Stob. eod. ſerm.*

Pittacus optime conſtitutam eſſe domum pronunciauit, cui ſuperfluum nihil abundet, & neceſſarium nihil deſit. *Stobæus ſermon. eodem.*

Solon optimum œconomum eſſe' dixit, in cuius familia pecuniæ non iniuſtæ poſſideantur, nec difficulter cuſtodiantur, neque propter ſumptus pœnitudinem adferant. *ibid.*

Theano, cuidam percontanti, quanam ratione celebris euaſura eſſet? reſpondit: Contexens telam, & meum curans coniugium. Senſit autem mulier ornatiſſima, tum demum claram ſe fore, ſi amaret maritum, probe educaret filios: & rem domeſticam ſedulo curaret. *Stob.ſer.*27.

Lycurgus audiens quendam, qui Democratiam mirum in modum probabat. Quin tu, inquit, primum domui tuæ democratiam, hoc eſt, commune imperium inſtituis? Docuit autem compendioſiſſime, eam gubernationem Reipublicæ pernitioſam fore, quam nemo vellet eſſe in ſua familia. *Plut. in Lacon.*

Themiſtocles cum ex duobus filiam ſuam ambientibus bonis moribus præditum diuiti prætuliſſet: virum ſe quærere dixit potius ſine pecuniis, quam pecunias ſine viro. Senſit autem vir prudentiſſimus, non obſtare paupertatem hominum vitæ, ſi quis rem domeſticam pro viribus curare, cum tota ſua familia cupiat. *Stobæus.*

M. Cato. Cum ex Catone quæreretur, quid maxime in re familiari expediret? reſpondit. Bene paſcere. Quid ſecundum? ſatis bene paſcere. Quid tertium? bene veſtire. Quid quartum? bene arare. *Cic.lib.2.Offic.*

¶ SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt potionem temperatam, etſi plus inſit aquæ, vinum tamen appellamus: Ita ſubſtantiam & rem familiarem quamuis plus vxor contulerit, mariti dici oportet. *In præceptis nuptial. Meminit & Stob.ſer.*72.

Duabus vocibus ſimul ſonantibus gratior fit concentus: Ita quicquid fit in familia, fit quidem vtriusque conſenſu, ſed tamen arbitrio mariti. *apud Eraſmum.*

Briſonis. Quemadmodum catenæ circuli mutuo complexu hærent, ſeq; inuicem ſequuntur: & ſi vnum ex eis, quemcunq; tandem attrahas, tota catena cum ſuo principio cõſequetur: Ita etiam quicquid in vitæ negotiis tibi ſumas, reliqua neceſſario ſequi, & ordine continuo ſuccedentia deprehendes. *In œconom. Vnde mutuatus eſt Stob.ſer.*83.

Thriuers. Nihil intolerabilius, quam ancilla, quæ conſuetudinem habet cum domino: Et nil ſeruilius, quam dominus, cuius ſecreta peccata cognoſcit ſeruus. *in apoph.* 97.

Offenſio.

¶ DEFINITIO ET ETYMOLOG.

OFfenſio, Græce πρόσκοψις, ιος, ἡ: vel πρόσκομμα, ατος, τὸ, & προσκόπτω, offendo dicitur. Hebr. *Kiſſchalon.* dicitur, à verbo *Caſchal*, impegit, offendit, corruendo impegit, corruit. Vide Scandalum, vbi plura de offenſione & offendiculo. Offendere & Defendere proprie contraria ſunt. Nam offendere, eſt incurrere in aliquid atque incidere. Terent. *Offendi aduenientis quendam mei loc. hinc atq; ordinis hominem.* Defendere vero eſt impellere. Quoniam vero qui incidunt in aliquid, lędere ſępe ſolent id, in quod incidunt, & è contrario, qui depellunt, tuentur: factum eſt, vt offendere frequentiſſime pro lædere vſurpetur, & defendere pro tueri, & quaſi vim depellere. Offendere aliquando eſt inuenire. Varro *Romam regreſſus, ibi nil offendi, quod ante annos quinquaginta reliquerim.* Ab offendo offendiculum, quod ſignificat impedimentum, obſtaculum, & offenſam.

Offenſio atque offenſa ita differunt, quod offenſio ſemper paſſiue accipiatur, offenſa vero actiue. Cicero; *In corpore ægro odioſa eſt omnis offenſio.* Idem: *Cum tot eius offenſas pati non poſſem, inde diſceſsi.*

¶ LOCI BIBLICI.

Offenſiones vitandæ, & quomodo, *Rom.*3.8.& 6.9.1.14.& 16.17. 1.*Cor.*9.22.2.*Tim.*2.19.

¶ SIMILITVDINES.

Plutarchi. Vt medici eas febres, quæ ab incertis cauſis paulatim collectis eueniunt, magis ſuſpectas habent & timent, quam quæ manifeſtas magnasque cauſas habent: Sic latentes plerunque [...] uæque, & frequentes, ac quotidianæ viri atque vxoris offenſa [...] gis eos diſiungunt, & vitæ conſortium labefactant. In nuptialibus *præceptis: vnde mutuo ſumpſit Stob.ſer.*72.

Plinij. Ter nouenis crabronum ictibus interfici hominem [...] mant: Ita offenſa tametſi per ſe non capitalis, tamen ſæpius [...] capitalem parit inimicitiam. *Lib.*11.*c.*21.

Vide Culpa, Crimen, Iniuria, Scandalum.

Officium.

¶ DEFINITIO: ET ETYMOL.

OFficium, Græce καθῆκον, οντος, τὸ, κατόρθωμα, τάξις, [...] Hebr. *Can*, baſis gradus fundamenti, conſiſtentia firma, [...] firmus: à verbo *Canan*, collocauit aliquid ſuper firma[...] ſin. Alii deriuant à verbo *Canah*, quod ſignificat cognomina[...] quem ab officio, dignitate, præſtantia: vt magiſtratum, princi[...] &c. quod re vera talis eſſe debeat. Officium dicitur. *dhabodah*, [...] uitus, ſeruitum, cultus, à verbo. *dhabadh*, ſeruiuit alicui tanquam ſeruus hero ſuo. Honores certe ſunt onera functionesque [...] blicæ, tum priuatæ dominantes ad ſeruitutem reuocant. 3. Pekudah, viſitatio, inſpectio, præfectura, commiſſio, à verbo *Pakad*, [...] uit, inuiſendi curam ſuſcepit, & commiſſi muneris partes [...] 4. *Miſchpat*, Iudicium, officium iudicis, à verbo *Saphat*, [...] iudicauit. *Sophet*, iudex qui officium ſibi commiſſum implet, [...] cioſus eſt re ipſa. Eſt autem officium, actus congruus cuiusque per[...] ſonæ. Vel ſic: Officium eſt, quod quisque efficere debet pro [...] ſonæ conditione. In quo animaduertere oportet, quid loco conue[...] niat, quid tempori, quid rerum aut perſonarum dignitati [...] ab officio, cis, quo antiqui pro efficio, vtebantur. Hinc officioſus di[...] citur obſequioſus, & qui facile merentibus exhibet honorem [...] officioſe, id eſt: cum officio & obſequioſe. Officium etiam [...] magiſtratus, vel quia honoris gratia inſtitutus eſt, vel quia [...] populo fert, vel quia ius, quod vnicuiq; debetur, reddit. Cæteræ artes actionem ſuam officium vocant, vnde officium Gram[...] officium Medici, officium Architecti. Hinc fit officina, id eſt [...] in quo artifices ſua opera faciunt. Differt autem à taberna, [...] ficina eſt, vbi opera efficiuntur: taberna, vbi venduntur, [...] ces & tabernarii dicuntur. Cicero: *Opifices & tabernarios [...] nem illam fecem ciuitatum, quid eſt negotij concitare?* Ta[...] iam antiqui caſas dixere, quod ex tabulis fierent.

¶ SENTENTIAE POETICAE.

Horat.ſerm.3.

Si male rem gerere inſani eſt: contra, bene, ſani.

Plaut.Ru.

Vigilare decet hominem,
Qui vult ſua tempori conficere officia:
Nam qui dormiunt libenter, ſine lucro, & cum malo
quieſcunt.

Ter.Adelph.1.

Hoc patrium eſt potius conſuefacere filium,
Sua ſponte recte facere, quam alieno metu.
Hoc pater, ac dominus intereſt: hoc qui nequit,
Fateatur neſcire impetrare liberis.

Ouid. 3. Pont.4.

Pectore te toto, cunctisq; incumbere neruis,
Et niti pro me nocte dieq; decet.
Vtq; iuuent alij, tu debes vincere amicos
Vxor, & ad partes prima venire tuas.

Propert.3.4.

Omnis enim debet ſine vano nuntius eſſe,
Maioremq; timens ſeruus habere fidem.

¶ SENTENTIAE PHILOSOPHICAE.

Virtutis proprium eſt officium in alios beneficia conferre potius quam ab aliis accipere: & quæ recta ſunt & honeſta, facere, quæ flagitioſa & turpia, non facere.

Negotia ſuſcipimus, vt in otio ſimus: & bella gerimus, vt in pace viuamus. Ac virtutum quidem vſus, & munera earum, quæ ad actionem rerum valent, in ciuilibus bellicisq; rebus vigent maxime: quæque in his verſantur officia, negotioſa videntur. *Ariſt. lib.*[...] *Ethic.*

Nullæ vitæ pars neque publicis, neque priuatis, neq; forenſibus, neq; domeſticis in rebus, neq; ſi tecum agas quid, neq; ſi cum altero contrahas, vacare officio poteſt. In eoq; excolendo ſita eſt vitæ honeſtas omnis; & in negligendo turpitudo. *Cic.1.Offic.*

¶ APOPHTHEGMATA.

Thraſeas dicere ſolitus eſt, ſuſcipiendas eſſe cauſas amicorum [...]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN